

qua medulla excipitur. Ossium externam superficiem, atque internam cavitatem cingit membrana quædam nervosa *periostium* dicta, quæ primordia ossium constituit, illique sensibilitatem confert 7 *Cartilagine* sunt partes ossibus analogæ, at tamen flexibiles, lubricæ, solidæ & quadamtenus pellucidæ, ossibus communiter junctæ, nullam habent cavitatem, neque medullam in se continent, nec gaudent ulla sensibilitate 8 *Musculi* sunt partes molles, carnosæ, rubicundæ, & instrumenta motuum nervorum ope; constant ex meris fibris, nervis & vasculis intertextis propria membrana vestitis 9 *Tendines* sunt extremitates masculorum, ligamentosæ, validæ . . . 10 *Glandule* gaudent peculiari quadam substantia spongiosa, quam contorti nervuli, vascula & ductus excretorius componunt. Ductus ille communi quadam membrana cingitur, variisque secretionibus inservit 11 *Vasa, canales*, sunt meatus oblongi, conici, membranosi, quibus liquores in corpore vehuntur. Hujus generis sunt *arterie*, seu vasa elastica, pulsantia, sanguinem ex corde ad omnes corporis partes devehentia, ex quatuor tunicis, quarum una nervea est, composita. *Vene* sunt etiam vasa, pulsa destituta, valvulis instructa & sanguinem ex partibus corporis ad cor revehentia; constant quoque ex quatuor tunicis. Cor duas continet cavitates, seu, ut anatomici loquuntur, duos *ventriculos*, dextrum & sinistrum septo quodam diremptos. Ex dextro cordis ventriculo prodit